

1. Reusner, Feremias: Delibationem captivitatis et post-
liminii submittet. . . 1645.
2. Schreiber, Johann: Decades duae conclusionum theoreico-
practicarum in jure tam civili quam Saxoniae hodie
maxime controversarum quaestionum. 1645.
3. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio I de generalibus et bonorum possessioni bus. 1645.
4. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio IV de successione ascendentium. 1645.
5. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio III de successione descendendum. 1645.
6. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio VI de successione conjugum. 1645.
7. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio V de successione collateralium. 1645.
8. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio III de successione fidei. 1645.
9. Suerus, Gottfried: Conclusiones haec legitimas ex libro
Fustii desumptas objiciet. . . 1645.

10. Taubman, Christian : De exceptionibus peremptoriis
1645
11. Coselius de Peglinorez, ^{Henricus} Henricus : Enodatio VII, VIII, IX
X. tit. pand. postremi habebitur . . . 1646.
12. Coselius de Peglinorez, Henricus : Enodatio leg. XI. XII.
Tit. pand. postremi . . . habebitur . . . 1646.
13. Coselius de Peglinorez, Henricus : Enodationem leg.
XIII, XIV. tit. pand. postremi . . . subjiciet. 1646.
2. Inapl.
14. Coselius de Peglinorez, Henricus : Enodatio rubricae
leg. I. II. III. Tit. pand. postremi . . . habebitur. 1646.
15. Coselius de Peglinorez, Henricus : Enodatio leg. IV. V.
II. tit. pand. postremi . . . habebitur. 1646.
16. Sperling, Johann : Aphorismi physici de igne. 1646.
17. Suerus, Gumpfried : De concursu et cumulatione
actionum. 1646.
18. Coselius de Peglinorez, Henricus : Enodationem leg. XIX.
XX. tit. pand. postremi . . . subjiciet . . . 1647.
19. Coselius de Peglinorez, Henricus : Enodationem leg. XVIII.
XVIII. Tit. postremi . . . subjiciet. 1647.

20. Coselius de Tegliuorez, Henricus: Inodationem leg. XVIII.
XVI: t. f. pand. postremi. . . proponet . . . 1647.
21. Coselius de Tegliuorez, Henricus: Inodationem leg.
XXI. et. XXII. t. f. pand. postremi. . . subiciet . . . 1647.
22. Auentiss, Joh. Andreas: Sepultura veterum. Sive
de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum,
Graecorum, Iudaeorum et Christianorum. Disputatio I.
1647.
23. Reusner, Ferminus: De iuribus eorumque instru-
mentis 1647. 2 Exempl.
24. Reusner, Ferminus: De iure retentionis. 1647.
25. Suevus, Gottfried: Privilegiorum militarium
Sclabationum . . . placidae et unicee ventila-
tionis sistit. 1647.
Suevus - Neger 1647.
26. Suevus, Gottfried: De reconventiones. 1647.
27. Taubman, Christian: De peculio. 1647. 2 Exempl.
Vismarius, Hilarius u. Hermann, Friedrich?
28. Taubman, Christian: De conceptionum concep-
tibus seu nationibus secundis. 1647.
29. Wacken, Christophor: De iuramentis. 1647.



[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1070.

Quod felix, faustum jubeat DEUS esse, bonu mqi!

35. 2

CONCLUSIONES

HASCE LEGITIMAS

ex Libro I. Institutionum desumptas,

*Consensu Amplissimi Collegij Juridici in
incluta hac Electorali ad Albim Academia,*

SUB PRÆSIDIO

Dn. GOTTFRIDI SUEVI, J.U.D.

& P. P. Curia Provincialis Scabinatus & Faculta-
tis Juridicæ Assessoris, Patroni atq; Præceptoris sui
omni honoris & observantiæ cultu ætatem
prosequendi,


*liberalis exercitiij causa placido examini
subjiciet*

ESAIAS MAIOR

Vratislaviensis Silesius,

In Auditorio Jctorum

Ante diem XII. April.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typog.

ANNO MDCCXLV.

ri-
m
pi-
at.
n.
ou
lo-
ca.
lei-
l.
l.
10.
l.c.
&
tu-
in-
ri à
Fi-
&c.
In-
de
ad
cip.
sè
ra-
.C.
56.
32.
Fa-
ap.
r. de

9
1645
9
121



COPIA

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS

LIBRARIAS



In nomine Domini nostri
JESU CHRISTI,

Disputationum exercitia, ut in aliis, ita etiam in legali disciplina non nisi maxima ac plurima nobis præstare commoda, non magis negari potest, quam Solem meridie lucere. Utilia quippe hæc sunt, ad veritatem indagandum, ingenium excitandum atq; acuendum, judicium formandum, memoriam corroborandum, lingvæ promptitudinem conciliandum, subrusticam illam Juvenibus plerumq; inhærentem formidinem expellendum, forensibus controversiis & negociis arduioribus viam muniendum atq; præparandum, nec non alia, quæ jam enumerare super sedere, quam pluribus verbis disputationum dignitatem minimè adsequentibus infantiaæ meæ maciem publicare, malo, Quod animadvertentes magni Jurisconsultorum secumq; in pectore pervolutantes sapientissimè talia svasere exercitia. Quorum judicia atq; consilia cum post alios mihi quoq; debeant esse studij Juridici Cynosura atq; Helice, ea re sequentes conclusiones disputandas proponere sum ausus, idq; liberalis (quem finem frontispicium harum pagellarum notavit) exercitij gratia, nec enim captandæ alicujus

ius existimationis, locuples sane testis est thesium harum tenuitas atq; vulgaritas, quæ tamen hoc præbent solaminis, quod non à Lyta aut Prolyta aliquo, sed qui non ita diu est, cum studio huic legali se subjecit, sint in medium prolatae, nec non, quod absq; his parvis consistere nequeat illud magnum, Sit autem Conclusio,

1. Justiniani consilium atq; monitum de Instituendo & pertractando Juris Studio, in Constitutione, cui inscriptio: de ratione & methodo Juris docendi, præscriptum probandum haut videtur. Illius summa summarum hæc est. Primo studii Juridici anno Imperator vult hauriri Institutiones & primam insuper legum partem, quæ græco vocabulo *πρωτα* (primordia) nuncupatur, h. e. quatuor libros priores digestorum, hujus anni studiosos, non vetere tam frivolo, quam ridiculo cognomine Dupondios, sed Justinianos (seu potius Justinianos) novos nuncupans, *d. const. § 2.* In secundo anno vel de Judiciis libros septem (i. e. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.) vel de rebus octo (i. e. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.) accipi jubet, alterutriq; horum volumini, id est, de Judiciis vel de rebus adjungi quatuor libros singulares, i. e. 23. 26. 28. 30. hujus anni Studiosos, Edictales nominans. §. 3. Tertij anni diligentia talem præscribit ordinem, ut sive libros de Judiciis, sive de rebus secundum vices legere fors tulerit, concurrat tripartita legum singularium dispositio, i. e. 20. 21. 22. hujus anni Studiosos, Papinianitas vocans, §. 4. Quarto anno vult reliquos decem libros singulares, i. e. 24. 25. 27. 29. 31. 32. 33. 34. 35. 36. nec non sextam & septimam digestorum partes (i. e. à libro 37. usq; ad fin.) legi, hujus anni Studiosos Lytas appellans, §. 3. Quinto deniq; anno, ut Constitutionum Codicem tam legere, quam subtiliter intelligere studeant, suadet, hujus anni studiosos, Prolytas Salutans §. *ead.* Huic autem consilij parum commodè inniti quem posse, si ex nullo alio, ex hoc solo indubitanter liquido demonstrari potest, quod in prima digestorum parte, quam una cum Institutionibus primo statim anno præcipit pervolutanda Justinianus, multa difficilia, præsertim in materia partorum

et orum & transactionum occurrunt, & certè primæ institutioni pa-
rum accommodata; circa quæ non minus sit laborandum, quam ad
quamlibet Juris partem vel maximè salebrosam; ut loquitur nobi-
lissimus Antecessor Matthæus Wesenbecius *Instit. præm. §. 3. lit. f.*
Quare tutius consultiusq; fuerit, neglecto hoc Justiniani consilio,
aliorum doctissimorum hominum judicia sequi, quorum magnam
partem jampridem Nicolaus Reusnerus sub titulo *κρυπτολογία* sive
Cynosuræ Juris conjunctim edidit. Sicut nec postremum hac in-
re meretur locum elegans juxta atq; erudita Epistola Nobilissimi, Ju-
risq; consultissimi Dn. Nicolai Henell, ad Nobilissimum itidem
ac Amplissimum Virum Dn. Johannem Hofmannum ab Hofmans-
waldaw, &c. scripta.

2. Juris præcepta sunt tria. quia 1. nec plura nec pauciora in §. 3.
I. de Just. & Jur. l. 10. §. 1. D. eod. recensentur, quam hæc tria: Honestè vi-
vere, Alterum non lædere, Suum cuiq; tribuere. 2. nihil est in toto
nostro jure, quod non commodè ad ea referri queat, à quibus omne
jus omnesq; leges pendent, & ad quæ omnia revocari necessum est.
3. Præcepta hæc à se invicem verè atq; re sunt distincta apse. Siqui-
dem primum præceptum (honestè vivere) est absolutum, & nosmet-
ipsum duntaxat, non alios respicit, præcipiens, ut sermone, gestibus,
operibus, honestè nos geramus, nec quicquam agamus, quo videa-
mur esse turpes, quodve famam atq; existimationem nostram com-
maculet aut lædat. Secundum præceptum (alterum non lædere)
est respectivum, proximumque respicit, præcipiens, ut eidem
damnum ne inferamus, universisq; omnibus injuriis abstineamus.
Tertium præceptum (suum cuiq; tribuere) itidem respectivum est,
proximumq; respicit, præcipiens, ut rem illi suam tribuamus, nec
tradere recusemus, quod eidem aut ratione dominij restituere tene-
mur, aut ex obligatione debemus.

3. Ad Consuetudinem requiritur, ut sit rationalis. quod pro-
batur 1. expressa *l. 39. D. de Legibus*, ubi Celsus, quod non ratione, in-
quit, introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obten-
tum est, in aliis similibus non obtinet. 2. quia Consuetudo scriptas
leges imitatur, vimq; legis obtinet. Sicuti ergo leges tantum de re-
bus possibilibus ferunturq; honestis (impossibilium namq; nulla
est obligatio *l. 185. D. de Reg. Jur.*, nec turpium *l. 26. D. de Verb. Obl.*) ita



Consuetudines tantum de rebus possibilibus atq; honestis induci
possunt. V. Wesenb. parat. de Legibus n. 9. p. m. 45. 3. Consuetudo
vocatur Jus §. 9. *J. de Jure nat.* Jus verò nullum est irrationabile, cum
ratio sit legis anima. Hinc Hostiensis Consuetudinem ita definit,
quod sit usus rationabilis competentis tempore præscriptus vel fir-
matus, nullo actu contrario interruptus, binario actu, seu contradi-
ctorio Judicio, vel quod non exstet memoria inductus, usq; commu-
ni utentium comprobatus. Lagus meth. Jur. 15. 14. quamvis in hac
Hostiensis definitione inveniatur, quæ sint aliis movendis dubiis,
de quibus tamen hoc temporis litem nostram non facimus. Con-
suetudines itaq; rationi repugnantes pro Jure non habendæ, sed po-
tius fugiendæ sunt atq; fugandæ. Quis quæso approbaret morem,
illum observandumq; existimaret Klagenfurtensium (nisi sit tan-
tummodo fabula, prætereaq; nihil) ubi suspectus furti in furcam,
agebatur, & postridie de mortuo quæstio habebatur, qui si reus in-
ventus esset, manebat pendulus, sin innocens, funere publico in
cœmiterium deferebatur? Lanf. de Prin. Eur. Orat. contra German.
pag. (secundum editionem Tubingensem Anno 1635.) 903. & orat. al-
tera pro Germ. p. 968. Quis illas Consuetudines (si ita dicendæ)
quibus bona naufragio afflictis, res furtivæ dominis à magistratibus
eripiuntur? Id. Ib. p. 903. quarum priorem adhuc hodie in Anglia,
Hispania, Gallia obtinere, ex Henrico Bruningio testatur Harpr. *ad*
§. 9. *J. de Jure nat. n. 14.* Nec ullus, arbitror, laudabit illam Persa-
rum, qui in gravissimis negotiis non nisi temulenti consultant, refe-
rente Lago *d' loco n. 6. & c.*

4. Servitus est contra naturam. 1. Imperator Justinianus in §. 2.
J. de Jure pers. cum Florentino in l. 4. §. 1. *D. de Statu hom.* Servitutis
hanc tradunt definitionem: quod sit constitutio Juris gentium, qua
quis dominio alieno contra naturam subjicitur. 2. Natura Servos
nescit, cum jure naturali omnes homines liberi nascuntur, §. 7. *J. de*
Jure nat. pr. J. de lib. omnesque homines æquales sunt l. 32. *D. de*
Reg. Jur.

5. Qui olim primum ingenuus, deinde servus effectus, ac postea
per manumissionem perventus ad libertatem fuerat, non ingenuus
fuit, sed libertinus. quod confirmo i. l. 21. *D. de Statu hom.* ubi Mode-
stinus ait: Homo liber, qui se vendidit, manumissus, non ad suum
statum

statum revertitur, quo se abdicavit, sed efficitur libertinæ conditionis. 2. definitione libertinorum, qui sunt illi, qui ex justa servitute manumissi sunt *pr. l. de Lib. l. 6. D. de Statu hom.* Justa autem servitus est, ex qua servi appellantur. Non adversatur §. 1. *f. de Ing.* Aliud enim est, esse servum, aliud esse in servitute. Hi namq; propriè dicuntur esse in servitute, qui cum liberi sint, pro servis habentur & possidentur; qualem casum proponit *in d. §. 1. Theophilus.* Qui igitur in servitute fuit, per manumissionem non fit libertinus, quia manumissio illa non valet: soli enim servi rectè manumittuntur; qui verò servus effectus est, ut qui passus est se venundari, per manumissionem fit libertinus. Servum itaq; esse, notat proprietatem; in servitute esse, possessionem. Aut ita distingvendum: aliud est servitus juris, i. e. justa, vera, ac legitima, aliud servitus facti, i. e. injusta, nec-vera, puta violenta, vel putativa, de hac loquitur Imperator *in d. §. 1.* dicens, injustam servisse servitutem non nocere; si locutus esset de servitute juris, non rectè dubitasset, utrum manumissio officeret ingenuitati, sed dubitare potius debuisset, an officeret servitus. *Pacius leg. conc. cent. l. q. 26. v. §. Dd. ad d. §. 1.*

6. Manumissos olim vindicta ob ingratitude[m] Patronus in servitute[m] revocare poterat. Colligitur hoc optimè ex quamplurimis Juris nostri textibus. 1. *ex §. 1. f. de Cap. dem.* ubi Justinianus ait: maxima capitis deminutione affici, & libertate ac civitate privari liberos, ut ingratos erga patronos condemnatos. 2. *l. 21. D. quod met.* ubi Paulus loquitur de muliere, quæ aliquid patrono dedit vel promisit, ne in servitute[m] redigatur. 3. *l. 6. §. 1. D. de Agn. lib.* ex qua idem deducitur, dum ibidem dicitur, quod ingratus libertus in potestatem redactus ministerium Domini præstare cogatur. Jam verò Dominus in Jure nostro est solum servi Dominus; cum servus & Dominus sibi invicem perpetuò sint relata, deinceps etiam in h. l. asseritur, quod ingratus libertus vendi possit. Atqui juris indubitati est, neminem vendi posse, præterquam servum, cum homines libere: commercio hominum penitus sint exempti. 4. *l. 30. §. 4. D. qui & à quib. man.* ubi Ulpianus: quoties patroni libertum volunt accusare, ut in servitute[m] redigatur, utrum omnium consensus necessarius sit &c. quanquam illa verba: ut in servitute[m] redigatur, in nonnullis editionibus non habentur. 5. *l. 12. C. de Oper. lib.* ubi Impp. Dioclet. & Maxi-

Maximian. clarissimè hanc exprimunt sententiam. 6. ut & proximè laudatus noster Imperator laudatissimus in Nov. 78. 6. 2. v. Habeant itaque &c.

7. Servus olim in iudicio agere haut potuit. Non enim habuit legitimam personam standi in iudicio l. 3. pr. D. ne quis eum, qui in jus voc. l. 13. si quis caut. l. 6. C. de iudiciis; utpote cum iure civili pro mortuo l. 209. D. de Reg. Jur. immo nullo habeatur l. 32. eod. neq; caput habere dicatur §. 4. l. de Cap. Hinc Terentius Phorm. Act. 2. Sc. 1. Servum hominem causam orare leges non sinunt, citante Wesenb. §. Justa autem 5. §. quibus ex caus. man. non lic. n. 3.

8. Regula illa: quicquid conceditur inter vivos, multò magis concedendum est in ultimis voluntatibus; non semper procedit. Quod clare ostendit Georgius Schultz nostras, in Synopsi Inst de Leg. Fus. Can. toll. duobus exemplis ex Jure Feudali & Saxonico desumptis. Jure Feudali enim Vasallus de feudo in testamento dispondere nequit, tametsi inter vivos id facere non prohibeatur; deinde iure Saxonico mulier utensilia testamento aut mortis causa donatione alienare non potest, quamvis per donationem inter vivos in alium extraneum transferre illi sit concessum.

9. Contrariorum est eadem disciplina. Quia cognito uno contrariorum alterum cognoscitur, ut si intelligamus, quid sit Justitia, etiam cognoscimus, quid sit Injustitia, v. pr. §. de his qui sui vel al. jur. sunt l. 1. pr. D. eod. l. 40. §. 2. de Proc. l. 8. pr. de Leg. 1. l. 1. §. 5. de Stip. pr. l. 8. pr. de Accus. &c. Schneid. §. de his qui sui vel al. jur. sunt n. 3. Omphal. de Civili Pol. 1. 59. 61. Dec. reg. Jur. 10. n. 3. & seqq. Dyn. Muxell. reg. Jur. Pont. 55. n. 6. & seqq.

10. Mater liberos non habet in potestate 1. §. 10. §. de Adopt. §. 3. de Her. qual. 1. §. C. de Adopt. in quibus locis id expressè assertitur 2. In §. 3. §. de patr. pot. dicitur: qui ex te & uxore tua nascitur, in tua est potestate; non dicitur, in uxoris tuæ est potestate. 3. Filius ex justis nuptiis procreatus patris sui non matris familiam sequitur §. 7. de leg. agn. tut. l. 19. D. de Statu hom. 4. Potestas hæc in liberos non matris, sed patria appellatur.

11. Nuptiæ in ebrietate promissæ rescindi possint, si tamen ita quis sit ebrius, ut, quid agat, non intelligat. Talis siquidem furiosus, cujus

so, cujus nulla est voluntas l. 40. D. de Reg. Jur. & impuberi, qui nullum censetur habere Judicium, comparatur. Quia & ab hisce reliquos contractus celebratos rescindi solere, affirmant nonnulli. v. Bonaventura Cotta de Gottbis Coll. Jur. Imp. disquis. 3. concl. 17. Olem disp. Inst. Giphani. 35. §. 3 n. 5. & 10.

12. Ignobilis à nobili adoptatus nobilitatem inde non consequitur. Adoptatum quidem à persona extranea, qui familiam non mutat; nec è sua familia transit in adoptantis, non efficit nobilem, omnes ferè ad unum ultrò largiuntur. De adoptato verò ab ascendente, vel arrogato, magna est inter Juris consultos disputatio. Nos salvo aliorum judicio negativam tueri sententiam conabimur; & 1. quidem, quia adoptio vel arrogatio non est modus constituendæ nobilitatis, sed patriæ potestatis. 2. quia præter virtutem sola natura seu jus sanguinis nobilitatem conferre potest, non adoptio. 3. Robustiora sunt jura naturalis patris, quam ut civili ratione exstingvi possint. 4. Adoptivus filius in feudum non succedit 2. F. 26. §. Adoptivus. quamvis Hunnius contrasentientium opinioni concordans hancce rejicit rationem; cur adoptivus filius in feudum non succedat, non eam esse rationem, quia non sit factus nobilis, sed potius, quia non debet in potestate vasalli esse per commentitios ac factitios liberos Dominum vel agnatos suo jure privare, affirmans Res Jur. I 3. 33. p. 215.

13. Liberi possunt aliquando parentes cogere de potestate sua eos dimittere. Casus quosdam esse, quibus id facere parentes coguntur, indicat etiam particula limitativa Pene in §. 10. J. quib. mod. jus patr. pot. solvitur. ut si pater filium durius & inhumanus tractet: si filiam prostituere velit: si impubes arrogatus postea pubes factus probet, arrogationem hanc sibi esse inutilem ac damnosam: si patri legatum ea conditione fuerit relictum, ut filios emanciparet, & Pater eadem conditione legatum acceperit Hunn. & alij Comment. ad d. §. 10.

14. Posthumus, vel is, qui in utero est, habetur pro jam nato. cum hac tamen distinctione; quoties agitur de ejusdem commmodo. §. 4. J. de Tut. l. 7. D. de statu hom. secus si de alterius, alij enim, antequam nascatur, nequaquam prodesse potest d. l. 7.

B

15. Li-



15. Liberorum appellatiōne nepotes, ceterique ex his descendentes comprehenduntur §. 5. *J. qui test. tut. l. 10. §. 9. D. de in jus voc. l. 6. de test. tut. l. 1. §. 1. de leg. præst. l. 220. pr. de verb. Sign.* Obiter hic notandum 1. quemadmodum liberos, ita parentes quoque propriim dici, cujuscunque gradus sint in infinitum *l. 4. §. 2. D. de in jus voc. d. l. 1. §. 1. de leg. præst. 2.* Liberum aliquando in numero unitatis usurpari pro silio, ut exponit Gothofredus, Wesenbecius, Pacius, alij ex §. 2. *J. per quas pers. cuiq; acq.* (ubi tamen quædam exemplaria pro liberum suum, legunt: liberos suos) *pr. J. de Servili cogn. l. 34. D. de Paet.* (& hic Gothofr. pro liberum, legit. suum) *l. 33. C. de Inoff. test. l. 8. §. 4. C. de sec nupt.* ad quos locos vide sis dictos Juris consultos.

16. Si plures sint in eodem gradu proximi agnati vel cognati omnes ad legitimam tutelam vocantur. Sicuti etenim testatori licitum est, uno plures liberis suis constituere tutores, ut & magistratus quocunque voluerit, dare potest; ita quoque uno plures ad tutelam legitimam vocari interdum, nullum habet Jure dubitationem, si nempe plures sint in eodem gradu proximi agnati vel cognati, inter quos de Jure civili differentia est sublata. *Nov. 118. c. 4.* & hoc probari potest 1. expressis textibus §. 7. *J. de cap.* (quem §. rectius inter §. 2. & §. 3. tituli præcedentis de Leg. agn. tut. collocari posse, notant ex Hotomano Gothofredus & Wesenbecius) *l. 9. D. de leg. tut. 2.* quia pariter & ex æquo omnes ad successionem vocantur. tunc enim, habet locum Regula illa: ubi successions est emolumentum, ibi & onus tutelæ esse debet. De Jure Sax. (quo jure non ut civili hoc in negotio differentia agnationis & cognationis est sublata) in tutela legitima gerenda agnati præferuntur cognatis, eo quidem ordine, ut semper ad proximiores, & inter plures proximiores ad seniores agnatum hoc tutelæ onus spectet. *Schneid. pr. J. de leg. agn. tut. n. 11. & 12. Wes. §. cum autem eod. n. 2. & in parat. de leg. tut. n. 1.*

17. Tria olim fuere deminutionis capitis genera. Nec plura, nec pauciora *in pr. J. de cap. & l. 11. D. eod.* quam hæc tria recensentur: maxima, minor, quam & quidam mediam vocant atque minima. Tria enim sunt, quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. quæ Terentius in *Eun.* uno hoc est complexus versiculo:

versiculo:

versiculo: principiò dico esse liberam, civem Atticam, meam so-
rorem citante *Wes. d. pr. n. 2. & parat. de cap. min. n. 5.*

18. Regula illa: Qui sentit commodum, sentire debet o-
nus; non semper procedit. Quod vel solùm hocce exemplum,
in tit. 7. de leg. patr. tut. demonstrat, ubi, quantumvis plerumque
ubi successione est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debeat,
fœmina ad hereditatem quidem vocatur, non verò ad tutelam.
l. 1. §. 1. D. de leg. tut. Fœminæ siquidem regulariter tutrices esse
nequeunt, cum tutela sit virile officium *l. 16. pr. & l. 18. D. de tut.*
l. 1. C. quando mul. & munus publicum, pr. 7. de Excus. à quo remo-
ventur fœminæ *l. 2. pr. D. de Reg. Jur. v. Decius in Reg. Jur. 10. Dynus*
Muxell. in reg. Jur. pont. 55.

19. Parentum tutela non est verè legitima. Non enim ijs-
dem defertur neque ex legis 12. tabularum verbis (quia lex tantùm
de agnatis agit; pater autem filio emancipato non est agnatus,
cum non sint ejusdem amplius familiæ) neque ex mente, sicut
patronorum tutela (quia non ut his libertorum, ita parentibus
liberorum emancipatorum successione lex defert, quippe quæ
agnatos tantùm vocet *t. 1. 7. de leg. agn. succ. pr. de SC. Tert.*) sed ex
interpretatione Juris consultorum propter identitatem rationis
ad exemplum & similitudinem legitimæ patronorum tutelæ
Schneid. & Wes. 7. de leg. par. tut. Hinc non malè à Schultzio in *syno-*
psi & Bonaventura Cotta de Gotthis coll. Jur. Imper. disq. 4. concl.
26. aliisque Quasi legitima, seu vice legitima nominatur, quem
admodum *Vlpianus in l. 3. §. 10. D. de leg. tut.* ait parentem vicem
legitimi tutoris sustinere & *Wes. 7b. b. ut & Crisp. b.* potius tute-
lam fiduciariam, quam legitimam esse putant, quia nempe ori-
tur potius ex fiducia emancipationis, quam ex lege 12. tabularum.
Non obstat, quod in textu hujus tituli *de leg. par. tut.* dicitur hancce
tutelam legitimam vocari; saltem enim vocari, non verò esse
dicitur legitima, ut notat *Wes. ib.* Caterum, cum emancipatio-
ne hodie jus agnationis non perimatur, hac propter pater libe-
rorum emancipatorum verè legitimus est tutor, jure agnationis.
*Schulz. in d. Syn. gemmea quæ magis est gemmis, magis aureaq;
auro.*



20. De Jure civili ætas perfecta est 25. annorum. Cujus ætates homines in suam veniunt tutelam, suaque bona administrant, & ad omnia verè à legibus admittuntur, v. *l. 1. de min. l. 4. C. de his qui ven. l. 5. C. de leg. tut.* de Jure verò Saxonico perfecta ætas dicitur, quando quis complevit 21. ætatis annum.

21. Habenti tutorem alius tutor dari nequit §. 5. *J. de Cur. l. 27. pr. D. de test. tut. l. 4. C. in quib. cas. tut.* in quibus & multis aliis textibus Juris regula ista exprimitur. Potissimum autem in legitimo tutore locum habet, de quo in d. §. 5. agitur idque ideò, quia cum legitimus tutor sit proximus heres, non debet ei (præsertim invito.) in bonis administrandis, ad quæ habet spem successio- nis, alius tutor adjungi, ne contumelia afficiatur v. *Olem. disp. Inst. Giph. 5. 8. 10. n. 22. & disp. 6. 8. 21. n. 24.*

22. Tutor auctoritatem suam expressis verbis interponere debet *l. 3. D. de Auct. tut.* ubi vocabulum *Dicit*, expressa requirere videtur verba. Nec enim sola præsentia & taciturnitas tutoris sufficit. Hinc mutus, quoniam auctoritatem præbere non potest tutor dari nequit *l. 1. §. 2. D. de tut.* quo fit, ut tutor cæcus factus auctor fieri possit, cum loqui valeat *l. 16. D. de Auct. tut.* Ad essentiam igitur præstationis auctoritatis exigitur sermo, nec nutu vel signis illa quit interponi. Videatur Juris consultus, multa for- rum, plus aula cui, schola plurima debet, Joan. Schneidevvinus. §. 2. *J. de Auct. n. 2.* & ille in libro illo, de quibus Jacobus Thomingio J. U. D. & Ordinarius quondam Lips. tale tulit Judicium: (nec pigeat enim hic de Jurisconsulto doctissimo doctissima doctissi- mi viri apponere verba) Inter omnes certè, inquiring, qui nostra memoria juriscivilis disciplinam methodo tractare ceperunt, u- nus est præcipuus Clariss. Jurisconsultus Germaniæ princeps Wesenbecius. Hic adeò altè ædificavit, ut omnium aliorum in simili scriptio- nis genere versantium luminibus latè obstruxerit. et quod olim de Azone præceptum fuit, ut nemo possit Veronæ intrare collegium Doctorum, qui non haberet summam Azonis: hoc nunc multò rectiq de Paratilis Wesenbecii prædicari poterit, *de Auct. tut. n. 5. p. m. 832.*

23. Pubertate tutela finitur. *pr. J. quibus mod. tut. fin. l. i. C. quando tut.* Cum enim impuberibus tantum tutores dentur, atq; ideo, quia sunt impuberes, talesq; qui propter ætatem se defendere nequeunt *§. i. J. de tut. §. 6. J. de Att. tut.* sequitur, ut finita hac ætate, ipsa quoq; tutela finitur, cum etiam alias sublata causa tollatur effectus. Nec hoc Jure Saxonico immutatum est, etiamsi minor ætas & tutela ad 21. annum durare vulgò dicatur. Nam revera post pubertatem transit ipso jure in curationem, etiamsi personæ administratorum non mutantur; ut, ex Mausero annotavit *Wes. d. pr. a.*

24. Curatores à parentibus in testamento dari non possunt. *1. §. i. J. de Cur. l. 6. C. de neg. gest. l. 7. C. de test. tut.* 2. nulla in lege nominatim id permittitur. *Crisp. d. §. i. c. 3.* Curator datur principaliter rebus, non personæ *l. 8. C. de nupt.* sed de rebus filij pater in testamento post pubertatem filij disponere non potest *l. 2. pr. D. de vulg. subst. Schneid. d. t. Inst. n. 8. Olem. disp. Inst. Giph. n. 21. 4.* Minor 14. ætatis anno consequitur jus faciendi testamenti *l. 5. D. qui test. fac. poss.* quod illi jus pater moriturus auferre nequit *Olem. Ib. Wes. d. §. i. n. 3.* Quod si tamen in testamento curator fuerit à parente datus, non spernitur simpliciter judicium ac voluntas parentis, propterea, quia lex de patris electione plurimum confidit, cum nullus sit affectus, qui vincat paternum *l. 7. pr. C. de Cur. fur.* & filius non possit invenire meliorem amicum, quam patrem, *ut est gl. in l. 46. D. de her. Inst. citante Schneid. d. loco,* sed curator, qui ab ipso datus est, confirmari solet à magistratu *d. §. i. l. 2. C. de conf. tut.*

25. Si plures sint tutores, & cæteris contutoribus non solvendo existentibus, unus vel plures eorum, qui sunt solvendo, à pupillo finita tutela conveniantur, proq; illis ipsis suis collegis non solvendo existentibus solvant, pupillus cogitur, cedere illi vel illis actionem tutelæ. *l. 2. C. de divid. tut. v. Schneid. §. Sed si 1. J. de Sat. tut. n. 13. & seqq. Wes. par. de Adm. & per. tut. n. 9. Schæer. Inst. tut. par. 3. quest. 9.* ubi in Scabinatu Vratislaviensi olim Anno 1605. d. 30. Sept. ita pronunciatum refert: *Das Trager als der vermögende Vormünder von seinem gewesenen Mündlein / der Bezahlung halber angehalten werden*

W III

werden



werden möge: Jedoch were ihm ermeltes sein Mündlein/bey der zahlung/sein Recht wieder den andern Vormünd/ auff sein begehren zu cediren vnd abzurrethen schuldig/vermöge welches ihm von dem Mündlein cedirten Rechts/er allen andern seiner vndermögenden Mitvormündens creditoren, die nicht älter besser Rechte haben/in bezahlung aus desselben Haab vnd Gut/billich vorgezogen wird/B. N. W.

26. Quilibet Magistratus se à tutela excusare potest. Olim quidem tantum illi magistratus, qui potestatem aliquam, i. e. imperium l. 215. de verb. sign. habebant, ut Consules, Præfecti, Prætores, Proconsules &c. l. 2. D. de in jus voc. excusabantur à tutela suscipienda, secus in minoribus magistratibus, qui fasces non habebant imperij. Hodie verò omnes magistratus quicumq; sint à tutela se excusare possunt. *Schultz. Syn. de Excus. b.* Ratio autem cur magistratibus hoc concedatur ea est: ne dum propter varias occupationes illorum non possunt commodè simul officio suo vacare, & tutelam, quæ & ipsa cum multo onere conjuncta est, administrare, si publicæ, seu pupillorum res lædantur. Verum enim verò, si vel ante susceptum magistratus officium, vel eodem jam suscepto, tutelam ipsis delatam semel susceperint, deserere illam non possunt. §. 3. f. de Excus. l. 17. §. 5. D. cod. Quia & aliàs multa ab initio rectè repudiantur, quæ semel suscepta deserere non possunt. v. §. 11. f. de mand. l. 8. pr. de his qui sui. Et sibi imputet, qui dum possit habere excusationem, ea non utitur. v. Dd. ad d. §. 3.

27. Tutor de levissima culpa non tenetur l. 7. C. Arb. tut. ubi Dioclet. & Maxim. Imp. tantum doli, culpæq; latæ & levis, nullam verò lævissimæ faciunt mentionem. v. *Christian. Krembergk.*

Coll. Inst. disp. 3. §. 24. ubi & hanc addit rationem: quia tutor non se sponte immiscet alienis negotiis, sed ea gerere cogitur. l. 9. D. de mun. & rerum alienarum cura difficilis est.

Ad Præstantissimum,

Dn. RESPONDENTEM,

Fautorem Colendissimum,

HActenus ingenium tentasti; quæris acutè
Jam scriptis, Juris quid pia jussa petant.
Hinc patet excelsi templum tibi, MAJOR, honoris,
Quo Themidos divæ limina culta teris.
Tolle metum, conscende thronum, simul exsere
lingvæ
Dona, paras Patriæ gaudia certa tuæ.)

FRIDERICUS GEORGI

Jauranus Sil.



Dr. REFORMATIONEM

Friedrich Colander

HABERE in scriptis rebus, quae sunt
In scriptis, in quibus sunt
Hinc patet ex illi templum tibi, MAIOR, honoris
Quo I. beatus dicitur hinc estis tibi
Tolle in stans, cordibus hinc, simul exire

lingua
Dona, pias Patria gaudia cura tua,

FRIEDRICHUS GEORGI


Januar 1717



X 2615918

VJ 17







1070.

Quod felix, faustum jubeat DEUS esse, bonu mq;!

35.

CONCLUSIONES HASCE LEGITIMAS

ex Libro 1. Institutionum desumptas,

*Consensu Amplissimi Collegij Juridici in
incluta hac Electorali ad Albim Academia,*

SUB PRÆSIDIO

Dn. GOTTFRIDI SUEVI, J.U.D.
& P. P. Curia Provincialis Scabinatus & Faculta-
tis Juridicæ Assessoris, Patroni atq; Præceptoris sui
omni honoris & observantiæ cultu ætatem
prosequendi,

*liberalis exercitiij causa placido examini
subjiciet*

ESAIAS MAIOR
Vratislaviensis Silesius,

In Auditorio Jctorum

Ante diem XII. April.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typog.
ANNO clō lō cXLV.